



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

207. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex eodem.*

CCVII. Quidam fornicatus est cum aliqua muliere. Postea filius, nesciens patris factum, stupravit eandem. Quod cum pater rescisset, de se filioque confessus est. Statuerunt melius esse ut taliter lapsis cum digna pœnitentia legitima permittantur conjugia quam fortè deterius delinquant; cum fornicaria autem illa gravius agendum.

Concil. Tribur. c. 43.
Burchard. lib. 17. c. 16.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCVIII. Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, & soror sororem ab eodem antea stupratam nescierit, vel si ipse sororem ejus quam antea stupravit non intellexerit, si dignè pœniterint, & se continere non valuerint, post annos septem conjugia illis non negentur. Si autem non ignoraverunt, usque ad mortem à conjugio abstineant.

Concil. Tribur. c. 45.
Burchard. lib. 17. c. 5.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCIX. Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, vir diebus vitæ suæ pœniteat. Soror autem quæ de alia sorore nescivit, licentiam habeat nubendi.

Burchard. lib. 17. c. 6.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCX. Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus nesciens duxerit eam uxorem; frater, eò quòd fratri crimen celaverit, pœniteat, & post pœnitentiam nubat. Mulier autem usque ad mortem pœniteat. [*Vide lib. 7. Capitular. cap. 296.*]

Concil. Tribur. c. 44.
Burchard. lib. 17. c. 13.